

disponit in melius sine nobis, optavimus, ut inter nos fraterna et caritativa hec colluctatio vos¹ haberet², si forte, velud sagittam electam³ et quasi clavum in altum defixum⁴, verbum vestrum ad suscitandas sponse sue nupcias, ad querendum sponsum decorum et propugnatores fortem divina clemencia posuisset, et labore non casso ad maiora vos inter fratres et collaborantes carismata reservasset.

Ceterum persone vestre incolumitatem, licet inter talia fluctuantem, letanter accepimus, et nostram quoque inter descriptas desolaciones nobis arridentem paternitati vestre ad cordis amici solacium intimamus, rogantes providencie vestre vigorem et in amplexu tocius spiritus exposcentes, quatinus in tanto rerum turbine, sicut matri condolentes⁵ et mundo, sic ad Omnipotentem oracionis vestre confertam et coagitatam mensuram⁶ effundere satagatis, ut, quod inter alia potissimum putamus esse remedium, de bono pastore, vicario fidei, antistite forti et pio ad universos universorum patre dignetur, — sicut et speramus, — de miseracionum suarum plenitudine providere.

Ad hec, si destinatis fratrum collegio litteris vestris non est ipsorum communis⁷ responsio subsecuta, nulla vos admiracio moveat vel molestet, cum ex recipiencium parte nulla processerit nisi ex caritatis consideracione cessacio. Nam cum operativi subsidii opem, non verborum consilium rei necessitas et littere vestre deposcerent, quam ante substitutionem summi pontificis fratres, sine capite vacillantes et patre, vobis impendere non valebant, scriptorum vos detinere colloquiis noluerunt. Sed dato pastore, ut sine more dispendio expectamus, omnium est et erit commune votum vobis et imminenti negocio intendere celeriter in auxilium oportunum.

VIII. (Ottobonus, Cardinaldiakon von S. Adrian), erstattet dem Cardinalscollegium Bericht über die bisher erzielten Erfolge seiner Legatenreise und erbittet Rathschläge für die weitere Behandlung der englischen Angelegenheiten nach dem Tode Simons von Montfort. (Paris. Anf. Sept. 1265).

Misericordie⁸ Domini super opera sua, ut depravata manibus hominum non dentur in consumpcionem, sed

1) Daraus geht hervor, dass der Angeredete Cardinal war.
2) 'habere' Hs. 3) Is. 49, 2. 4) Eccle. 12, 11. 5) 'condolentis' Hs.
6) Vgl. Luc. 6, 38. 7) 'communus' Hs. 8) Der Anfang ist vielleicht mit